

1502
Igromini
nota in
quosdam
triremum
prefatos.

Pisaurus consequi cuperet ; Paulus Nanus , Georgius Trivianus , Marcus Antonius Decanal , Nicolaus Barbadicus e colonia Cretensi , Petrus Capitellus Apulus , ejus missu ad Maleam profecti ; quod Galli esse illis in locis dicebantur , in biremes Thracias septem inciderunt , quæ navem onerariam hominum Cretensem a se captam remulco trahebant . Ea re animadversa , biremes aggredi communi consilio statuerunt . itaque incitatis remigibus ad illas contenderunt . Sed cum eis appropinquassent , timore impediti remiges inhibuerunt , se seque turpiter a congressu dimicationeque continuerunt . Accidit autem paulo post ut naves triremes aliquot e classe Gallica , quæ non longe aberat , idem conspicatae , biremes Thracias magno animo aggredierentur . quæ quidem res auxit illorum dedecus , quod eos reipublicæ hostes , quos propter formidinem ipsi dimiserant , Galli , quorum minus intererat , virtute essent atque animi præsentia consequiti . ob eam imbecillitatem atque formidinem Pisaurus annos quinque a præfecturis omnibus illos removit , stipendia que ab iis emerita fisco addixit . Iisdem diebus Gabrielem Maurum , Andream Foscum , Senatus legatos creavit , qui Ferriam proficerentur Lucretiæ Borgiæ Alexandri filiæ , quam pater Alfonso Atestino Herculis filio in matrimonium spoponderat , Roma ad illum venienti , & ipsi soceroque eis de nuptiis reipublicæ nomine gratulatum . E Pannonia vero crebriores allatae literæ , Turcas pluribus locis fusos a regiis ducibus occidione , & præda ingenti facta , Senatui attulerunt . Neque tamen ob eas res classis curam ulla ex parte Bajafetes intermittebat : quam quidem curam cum magnopere agitaret , reficique naves veteres suis ducibus mandavisset , atque id ei tardius negligentiusque agi ab illis atque administrari videretur , arcum sibi afferri & sagittas imperavit : quibus adductis , stantem ante se illum ipsum ducem , qui priore apud se erat loco , indignabundus transfixit . Restituerat idem rex paulo ante ad libertatem cives Venetos , quos belli initio Byzantii in vincula conjectos in turri ad fretum servandos miserat . ii se libris auri centum redemerunt : quorum e numero Andreas Grittus